

chos, & Latinè ramula dicitur. Præterea in  
 summis digitorum, tumores oriuntur, quibus  
 repente ossa corrumpuntur, atque ipsis ossi-  
 bus corruptis caro succrescit, affectumque  
 parit, quem medici veteres pterygion voca-  
 runt. Quinetiam circa unguis radicem tumor  
 interdum nascitur, qui paronychia nomina-  
 tur. Demum externis tumoribus præter natu-  
 ram apostemata, hoc est abscessus adduntur:  
 quorum tria habentur genera, nempe steato-  
 mata, ateromata, & melicerides. Ac steatoma-  
 ta ea sunt, è quibus humor sebo concreto simi-  
 lis eijcitur: ateromata verò, quæ crassam red-  
 dunt saniem, eamque pulti similem. Denique  
 melicerides ea sunt apostemata, quæ saniem  
 melli albo non dissimilem emittunt.

Pterygion

Paronychia

Steatoma

Ateroma

Meliceris

*Quibus signis affectus cutis internoscatur.*

## CAP. XV.

**U**ti hominis multi affectus præter na-  
 turam eueniunt, in quorum numero  
 sunt erysipelata & herpes, quæ qui-  
 dem magis cutem, quàm carnem afficiunt, aut  
 saltem vtriusque communia sunt. At ex pro-  
 prijs affectibus cutis sunt ipsæ papulæ, quas  
 Græci hydroa & practici medici sudamina  
 vocant. Fiunt autem è sudoribus, qui inter cu-  
 tem & carnem supprimuntur. At supprimun-

Hydroa